



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De merito leiunij

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

momenti habeat, apud Deum, sive piscibus, sive alterius generis carnis, homines se saturent & revereant? Veram humiliationem carnis ad ministerium Spiritus requirit Dominus. Preter hunc finem delectum ciborum obseruare, Manichaicum potius est quam Christianum.

Veteres quidem in diebus Ieiuniorum à carnis abstinuerunt, sed non minus piscium quam aliorum animantium, & nec vinum biberunt. Veruntamen quandocunque id non ad veram & fidelem carnis castigationem, ac promotionem spiritus in omnibus bonis operibus inseruit, veteres iuxta verbum Dei illud reiecerunt. Testatur etiam D. Augustinus in lib. de moribus ecclesiæ cap. 14. quod is qui cum vera vetero Adami humiliatione carnis vescatur, ac vinum bibat, abstinentius vitam ducat, quamvis qui aliis temporalibus cibis ac potu vitudur, à vino autem & carnis abstineat. Legatur Hieronymus ad Nepotianam de vita Clericorum. Item in temporibus de tempore adscriptis Augustino, Sermone 157.

Quinta pars rursus est de meritis Ieiunij, & satisfactione pro peccatis. Nam verò promereri aliquid à Deo, postulat equalitatem inter id per quod aliquid promeremur, & illud quod promeremur. Sicuti etiam Persolutio sive satisfactio equalitatem requirit inter id quod persolutitur, sive pro quo satisfit, & illud per quod solutio seu satisfactio præstat. Hac ratione ne ipsis quidem aduersarij dicent, quod ieiunando aliquid à Deo promereri, aut pro peccatis satisfacere possimus. Omnis enim remissio peccatorum ac meritorum suppliciorum venia, omnia denique dona Dei, ex gratuita bonitate & clementia Dei proficiuntur, Impetrata per unicum meritum Domini nostri Iesu Christi. Quomodo autem Ieiunium conferat ad impetrandam remissionem peccatorum, ac veniam meritarum poenaruim, auxilium denique ac donationem omnium bonorum Dei, quodque id Dominus remuneret, de his omnibus supra copiosè dictum est, in Apologia Articuli de Bonis operibus, & Satisfactione.

Sexta pars est, velle librum consuetudinem illam, qua preces vespertinae per quadragesimam ante meridiem dicuntur, esse blasphemiam quandam & irrationem diuinæ Maiestatis. Et hanc dicunt immodicam esse hyperbolam, etiam si concedant abusum aliquem esse. At iudicet pius Christianus, quid sit, in conspectum Dei venire, ac ut pro veteri consuetudine videantur post vespertinas preces cibum sumere, eas preces que ratione nominis sub vesperam fieri debebant, cuiusmodi est, Tetur chaos illabitur, &c. aliisque hymni qui de vespertino tempore sonant, ante meridiem habere, contra quam à Patribus ordinatum est & institutum. Ecce tales tamque manifestos & crassos abusus nolunt liberè confiteri: sed scribunt, Etiam si concedamus abusum aliquem esse.

Quando septimam questionem mouerunt, Vtrum quod Paulus tribus diebus ac noctibus sine cibo ac potu in oratione perseverauit. Act. 9. ieiunium dici debeat, aut non, sine dubio valde otiosi fuerunt.